

nihil tibi gratius nuntiari^{a)} potest, quam si regnum Christi nostri proferat sua pomeria et Antichristi vires debilitentur, paucis^{b)} perstringemus, quę non ingrata fore confidimus. Ulma igitur, quę nos accersit, sat multa specimina exhibet, sese nec ficto nec vulgari animo ad Christum accessisse. Nam quod iam palam est: neglecto imperatorio edicto, missæ et idolorum abominationes e templis eiecit; meditatur autem, ut et barbariem cleri emendet et lectiones cum in sacris literis, tum in linguis instituat nostrarumque Helveticarum ecclesiarum sinceriores cum cæremonias^{c)}, tum censuras imitetur. Quo exemplo speramus etiam alias Svecicas civitates posse tandem exstimulari^{d)}, ut Christo gloriam suam, quam obscurant sophistę impii, asserant. Scribitur nunc apologia cum constitutionibus, quibus absolutis et a senatu approbatis domum nos dimittendos rogabimus. Vale felix. Ulmę, die Iunii XXIII.

Tui *Blarerus, Bucerus, Oecolampadius, Somius.*

Clarissimo viro Ioachimo Vadiano, consuli Sanctogallensi, suo observandissimo patrono ac domino.

a) „c“ für „t“. — b) Folgt „hęc“ gestrichen. — c) „cerem.“. — d) „ext.“.

1) Vgl. IV, Brief 576. — 2) Vgl. IV, Brief 506. — 3) Vgl. IV, Brief 487. — 4) Vgl. IV, Brief 512. — Im Mai 1531 waren die 4 Briefschreiber nach Ulm berufen worden, um hier die Reformation völlig durchzuführen. Bei Zusammenstellung der Vadianischen Briefsammlung wurde das Monatsdatum für das Jahresdatum genommen und der Brief irrtümlich in das Jahr 1523 eingereiht, von uns aber zuerst für später zurückgelegt und dann wieder übersehen.

IV 153.

I4.

Jakob *Rheiner*¹⁾ an Vadian. *Rhe*

Tal. 1531. September 2.

Begleitschreiben zu einer Sendung Trauben.

Salus et gaudium in spiritu sancto etc. Optime Vadiane, transactis aliquot diebus quibusdam in pomario d(omini) decani nostri inter potandum male ominantibus hoc anno nimis seram vindemiam, promise-ram tibi intra mensem præmaturus botros, quos hic vides. Qui si^{a)} non sint satis — quod amem^{b)} — præcoces, dispeream. Vale Iacobumque tuum paterne semper considera. 1531, 2. Septembris. Salutetur nomine meo Andreas noster, qui et ipse una cum coadiutoribus Volffgango atque Matheo nostras invisit vindemias. Iterum vale.

Iacobus Rinorius, Thalę.

Vadiano nostro, doctori apud Sanctum Gallum.

a) „sy“. — b) „quodame“ mit Abkürzungsstrich über dem „e“; könnte zur Not auch „quodamo“ gelesen und dann „quodammodo“ ergänzt werden.

1) Vgl. oben, Brief 645, aus dem zu ersehen ist, dass und warum die Traubensendung erst am 26. September an Vadian abgieng. Vorstehendes Briefchen ist in der Sammlung irrtümlich in das Jahr 1537 versetzt worden und uns deswegen zu spät in die Hände gekommen, um an der richtigen Stelle eingerückt zu werden.

15.

Johannes Aventin¹⁾ an Vadian.

Regensburg. 1532. Mai 14.

Er hat von Christian Fridbold vieles über die Studien und Pläne Vadians erfahren, hofft von der Rückkehr friedlicher Zeiten die Aufnahme gründlicher Forschungen für die Geschichte der einzelnen Länder und schickt eine Inhaltsübersicht seines projectierten Werkes über Deutschland.

Ioannes Aventinus Ioachimo Vadiano, urbis S. Galli decurioni ac consuli, S. P. D.

Quamvis iam pridem mihi ex literis notus ac semper cultus fueris, tamen nunc magis te amo ac admiror, cum Christianus Fridbold, civis tuus, mores virtutesque tuas prædicarit. Retulit mihi de studiis ac conatibus tuis multa. Præter cetera narravit mihi, te multa, quæ ad illustrandum genitale solum spectent, observasse. Ego quoque iam diu in eodem versatus sum ludo manibusque ac pedibus laboro, nocte dieque cogito, quonam pacto Germania nostra ac partim Gallia pro sua dignitate illustrari queant, cum tot præclara ingenia nostra tempestate vigeant et multi hanc sibi operam sumant. Id profecto haud alia via rite fiet, quam si quisque suæ patriæ ac soli genitalis monumenta diligentius indagaverit, uti te factitare Fridopoldus noster aperuit. Nam coniecturis, sicuti multi solent, dumtaxat^{a)} niti imperitorum est et rem alioquin obscurissimam obscuriorem — ut aiunt — Cimmeriis tenebris reddere. Si fata ac boni divi donarent nobis principem, qui huiuscemodi rerum peritos convocaret, qualem fuisse divum Maximilianum comperi, non dubito, quin tantum opus optatum sortiretur effectum; nec enim unius hominis labor, maior est privatis opibus. Faxit Christus salvator, dominus ac deus noster, ut omnis belli(s) civilibus, intestinis seditionibus, in germanam ac christianam concordiam redeamus ac tandem vel sero a tot vitiis respiscamus. Sed dabit his quoque finem deus. Ego quæ molior, ex indice, quem precibus a me extortum tibi misi, cognosces. Soleo fere mihi et Musis canere utique consilio et Horatii et Quintiliani in edundis operibus. Exspecto^{b)} avide, si per fata licet, tuas observationes. Christus te servet. Vale. Rata-bonnæ, pridie Idus Maii, anno ab orbe servato MDXXX.

Goldast:
Centuria
Nr. 49.

a) „dunt-“. — b) „exp-“.

(Adresse fehlt.)

Capita rerum, quibus illustrabitur Germania ab Aventino,
modo contingat benignus Mæcenas.

In primo libro hæc dicentur: De carminibus antiquis, quod unum apud maiores nostros, quin etiam adhuc militum nostrorum memoriæ et annalium genus est, quibus Cornelius Tacitus usus est et quæ Carolus Magnus auxit, quidam recentiores corruerunt. Germaniæ veteris natura duce descriptio ac chorographia cum vetustis ac recentioribus regionum vocabulis. Quinque toparchiæ iuxta quinque maxima flumina atque ingentes sinus. Prima ac vetera nomina ex antiquis Druidibus admodum eruditis, item ex clarissimis rerum scriptoribus Græcis, Latinis, divo Iulio, Strabone, Pomponio Mela, Plinio, Solino, Plutarcho, Ptolemæo, Cornelio Tacito, divo Antonino Pio, divo Theodosio, divo Iustiniano, vetustis diplomatibus imperatorum, regum et pontificum nostrorum. Istævonum, Helvetiorum, Sycamborum, Bathavorum, Mattiacorum, Chattorum, Usipiorum, Tencterorum, Bructerorum, Chamavorum, Angrivariorum, Tubantum, Busactorum, Suleborum, Longobardorum, Ingrionum, Vargionum, Carythuorum, Cimbrorum mediterraneorum, Nerviorum, Eburonum, Trevirorum, Mediomaticum, Ubiorum, Vangionum, Nemetum, Tribochorum sedes atque origo. Belgas a Germanis ortos esse. Eam linguam, quam veteres Gallicam vocant, eandem esse, quam nunc Teutonicam vocant, Gallosque Teutones esse atque Celtas. Nigram Silvam non esse Bacenim, sed Helvetiorum, ex Cæsare, Tacito, Ptolemæo. Itidem Ingævonum, Chaucorum, Cimbrorum (quorum pars Saxones fuerunt), Teutonum, Vandalorum, Burgundionum, Burgionum, Varinorum, Charinorum, Gutonum, simul et Boiorum, Hermionum, Hermundorum, Nariscorum, Chattorum, Cheruscorum, Svevorum, item Peucinorum, Basternarum, Sarmatum situs. Antiquæ Mœsiæ, Phrygiæ, Histriæ, Sveviæ eiusque populorum: Rugionum, Anglorum, Angilorum, Angliorum, Senonum, Lancobardorum, Marcomanorum, Quadorum, Avionum, Abiorum, Varinorum, Levoniorum, Suionum, Bogiorum, Teriscorum, Tauriscorum, Alanorum, Troiorum, Gotinorum, Burorum, Legionum, Estiorum, Sitonum, Fennorum, Dacorum, Getarum, Scytharum, regni Vanniani sedes et regiones, quomodo nunc hæc loca, sed mutatis cultoribus, vocentur. De Boiemiâ, quoties mutarit cultores. De primo Zechorum rege. De Venedis (qui sua lingua sunt Sclavi et Antes), veteres et nativæ eorum sedes. De variis et veteribus Germaniæ vocabulis. Religio, leges, philosophia, astrologia, dies, menses, annus, festa, literæ veteres, sapientes, vates, Druides, Alirunæ, Chyndegotæ ac Sibyllæ Germanorum, 20 primi heroes, dii atque reges maiorum nostrorum, quorum mentionem faciunt Appianus Alexandrinus, Cornelius Tacitus, Berosus et Metasthenes, quomodo a proavis nostris vocentur. De Osiri et Iside, Libyo, Hercule Hispanico, diis et heroibus Aegypti, ut in Germaniam venerint. Primæ expeditiones maiorum nostrorum in alienas terras exterasque nationes. Eorum res militaris. Vera historia et origo Amazonum ex Horatio et nostris auctoribus vernaculisque

annalibus. Irruptiones illarum in Asiam Scytharumque regna pariter cum Cimbris. De Alope urbe, cuius mentionem Homerus et commentarii eius faciunt atque inde Amazonas deducunt.

Secundus liber narrabit res gestas maiorum nostrorum ab excidio Troiano usque ad urbem Romanam conditam. Bellum Troianum. De Teuthrante rege et heroe Germaniæ, amico Herculis, eius filiis, nepotibus et uxore Troiana, quomodo a maioribus nostris nuncupentur. De Penthesilea, Hippolyte, Melanippe, Amazonum reginis, quid veteres Germani in suis carminibus de hisce cantitent. Ibidem nomina earum vera Germanica. Quomodo Germani sub imperio Babyloniorum ac Assyriorum vocitentur.

Tertii libri summa rerum: Vetera nomina Francorum et Gottorum. Irruptiones Germanorum in Asiam migrationesque in alienum solum. Bella eorum adversus magnos Persarum reges; qui tum maiores nostri atque Cyrus ab ipsis dicatur. De Rætis, quæ sit Rætia, Vindelicia, Noricum, Pannoniæ. De Sycambria, Scythia, Troia Troisque atque Scythis^o, Noricorum Pannoniorum populis et urbibus ac pagis, unde quidam Francos deducunt. Ibidem verissima earum rerum explicatio. De Rætobonna tetrapoli sive urbe quadrata Danubiana, quam veteres Germaniæ Druides atque vates Græca nominis interpretatione *Ῥαιτόπολις* nominant, vulgus indoctum, corrupto licentia vetustatis nonnihil (uti fit) sono, Ratisbonam vocare solet, credit Latinum esse vocabulum, cum sit barbarum ac semigermanum, quemadmodum Bendobonna, Vindobonna, Arbonna, urbes Galliæ ac Noricorum. Bella proavorum nostrorum adversus Macedonum reges Philippum, Alexandrum Magnum eorumque successores; quomodo Germani a Macedonibus vocentur. Irruptio Germanorum rursus in Asiam. Item bella adversus Romanos liberos. Migratio in Gallias ac Hispanias. Origo Brabantinorum et Flandrorum. Quomodo recens Germanie vocabulum inventum. Reges Germaniæ a condita urbe resque gestæ usque ad divum Iulium.

Quartus liber habebit magnitudinem Romani imperii cum urbibus insignioribus, rem militarem, reges Germaniæ ac gentes resque gestas cum Romanis imperatoribus usque ad obitum Theodosii Magni. Quæ sit splendidissima colonia Rætiæ. Item civitas Hermundorum fida Romanis. Quisnam Albis fluvius, quem Tacitus olim inclitum^b) et notum, nunc tantum audiri et apud Hermunduros, populos Danubianos oppositos Rætis, oriri commemorat. Qui primi arcana pietatis christianæ in nostris regionibus aperuerint.

Quinto libro istæc narrabuntur: Franciæ (usque ad Pipinum, patrem Caroli Magni) antiqui reges, qui simul in Gallia et Germania imperarunt, Gallias in Germanias transtulerunt, quorum mentionem faciunt Claudianus et Sidonius. Maxima rerum mutatio, quæ ubique perculit Christianos. Irruptiones Germanorum in sacrosanctum Romanum imperium. Svevorum, Rugionum, Lancobardorum, Turogorum, Boiorum, Vandalorum, Saxonum, Scotorum, Angliorum, Ostrogetarum, Vestrogetarum, Burgundionum, Alanorum, Hunno-

rum, Avarorum, Abiorum et Avionum,¹ Burgundionum veteres sedes, quomodo ex Germania interiore atque Vistula amne ad Rhenum et Gallias migrarint. Vessogetarum (!) migratio (ex regno, ut nunc nominant, Ungariæ) per Italiam, Gallias in Hispaniam, item Svevorum atque Vandalorum, Navarrorum et Varinorum, Alanorum usque in Africam. Irruptio Ostrogetarum in Asiam, rursus in Europam, Noricam et Austriam Pannoniasque reditus, atque deinde simul et Rugionum ex Austria in Italiam. Migratio Venedorum, qui sua lingua, ut diximus ante, Sclavi sunt, quos Iordanus noster, Ptolemæus Græcus, Tacitus Romanus, Albertus Sclavus describunt; irruptio in Germaniam interiorem et postea transitu Danubio in Pannonias, Noricum, Liburniam, Dalmatiam; nam e sinu Venedico extremisque Germanie finibus egressi Illyricos usque penetrarunt sinus, longe lateque omnia occuparunt, potentissima regna condiderunt. Lancobardorum vera origo, situs; item Angliorum sive Angilorum, quas nationes Sveviæ Tacitus et Ptolemæus tribuunt, recentiores Saxonibus, qui Italiam, Britanias adhuc tenent, utraque natio teste Ptolemæo quondam Longobardi sive Lancobardi dicti. Brabantia vetusti reges et duces. Omnis nobilitas, reges, principes Italiae, Galliarum, Hispaniarum ex Germania originem ducunt. Quomodo Germania vetus vocabulum mutarit Franciaque posthac dicta fuerit, teste etiam divo Hieronymo.

Sextus liber continebit reges ac Cæsares Germaniæ ac Galliarum ex antiquis Franconibus prognatos usque ad Honoricum (!) primum. Austriæ varia nomina. Excidium Hunnorum et Avarorum. Adventum Ungarorum in regnum Moraviæ et Boiariæ ac regiones, quas nunc possident. Bella eorum adversus nostros imperatores, quos et tributarios fecerunt.

Septimo dicentur imperatores nostri ex Saxonia oriundi. Vetus rursus Germaniæ vocabulum oblitteratum novumque receptum ab imperatoribus Saxonibus. Res gestæ eorum, quomodo rursus Italiam, Gallias recuperarint, Germanias ab Ungaris asseruerint, Danorum regna domuerint cum Venedis^d.

Octavus liber habet Francorum imperatores atque eorum augustam sobolem Svevos, bella sacra Germanorum expeditionesque^e Asiaticas imperatorum et principum nostrorum. Tartarorum irruptiones in Polonia, Boemiæ, Ungariæ regna.

In nono referentur imperatores nostri in Holandia, Hispania, Anglia, Austria, Habsburgii^f, Lucilloburgii, Nassoviæ, Boiaria orti. Polonia quomodo regnum factum.

In decimo commemorabuntur usque ad nostram memoriæ imperatores nostri in Austria, Boemia, Ungaria, Hispania orti. Irruptio Turcarum in Europam victique imperatores, reges et principes nostri. Quinque bella infausta adversus Boemos ab imperatoribus et principibus nostris gesta. Nova nomina Germaniæ, præcipue militantium, quibus vulgo apud exterarum nationes nuncupari solemus. Complura alia, vulgo non protrita, ex vetustis, recentioribus imperatorum et pontificum nostrorum eruta diplomatibus, cognitu utilissima

lectuque iucundissima in hisce referentur commentariis, quæ hic indicare nihil operæ pretium fuerit.

a) auth. — b) „inlytum“. — c) Die Beilage zum Abacus liest „Scitiis“. — d) „cum Venedis“ fehlt bei Goldast. — e) „que“ fehlt bei Goldast. — f) Die Beilage zum Abacus liest „Hapsib.“.

l) Es ist dies der einzige, von Goldast verschleppte Brief Aventins an Vadian. Das Datum 1530 ist zweifellos durch 1532 zu ersetzen, da Aventin nur auf dem Reichstag zu Regensburg im Mai 1532 persönlich mit Christian Fridbold verkehrt hat, s. oben, Brief 684. Die dem Briefe beigegebene lateinische Inhaltsanzeige der projectierten «Germania» fällt im Einzelnen keineswegs mit der deutschen Inhaltsanzeige des «Zeitbuchs über ganz Teutschland» zusammen, wie sie in der Gesamtausgabe der Werke des Johannes Turmair, genannt Aventinus, Bd. I, S. 307—316, abgedruckt ist. Es schien uns daher der unverkürzte Abdruck der an Vadian geschickten Übersicht als Beilage durchaus gerechtfertigt; obschon sie auch dem 1532 in Regensburg erschienenen «Abacus» des Aventin beigegeben ist. Dieser uns von der k. Hof- und Staatsbibliothek in München gütigst zur Verfügung gestellte Abdruck ist zur Berichtigung einiger handgreiflichen Druckfehler der Goldast'schen Ausgabe benutzt worden.

16.

XI 43.

Georg Binder¹) an Vadian.

Zürich. (1532?) August 20.

Johannes Fries wird nächstens nach St. Gallen kommen, um bei Hans Widenhuber die Zither spielen zu lernen. Binder hat ihn aufgemuntert, bei diesem Anlass den st. gallischen Studierenden Vorlesungen zu halten. Vadian möge berichten, was sie gerne hören würden.

S. Phrysius noster, adolescens sane eruditus in literis Græcis et musica, propemodum ad vos veniet, discendi gratia^a) artem pulsandæ cytharæ apud Ioannem Widenhuber. Eum hortatus sum, ut in usum studiosorum, qui apud vos sunt, subcisivis horis aliquid prælegat^b). Proinde cum tuis convenito, quid libenter audituri sitis, atque proximis ad me literis significato. Habebis adolescentem ingenuum atque ad omnia paratissimum. Vale in domino Iesu, præceptor, immo^c) pater amantissime observandissimeque.

Tiguri, 20. Augusti.

Georgius tuus Binderus.

D. Vadiano suo.

a) „c“ für „t“. — b) „e“ für „æ“. — c) „imo“.

l) Vgl. II, Brief 129, und III, Nachträge, Brief 85. — Nach einem Brief Pellicans vom 26. September 1532 — s. oben, Brief 714 — war Fries damals zur Reise nach St. Gallen gerüstet. Es darf beim Mangel aller andern Anhaltspunkte vermutet werden, dass es sich dabei eben um diese Reise zu Hans Widenhuber gehandelt habe. Im Sommer 1539 war Widenhuber — wohl schon seit längerer Zeit — nicht mehr am Leben, s. Brief 1068.